UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Anima singularem B. Virginis castitatem & mansuetudinem admiratur, atque pro eisdem virtutibus impetrandis rogat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

Visual Library

Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos
Mites fac & caſtos.

Anima ſingularem B. Virginis caſtitatem & manſuetudinem admiratus atque pro eiſdem virtutibus impetrandis rogat.

MEDITATIO.

ROGAVI te Virgo glorioſa, vt orationes meas illi offerres qui pro me natus eſt. Petiui etiam vt mihi liberationem ab omnibus quæ nauigationis meæ curſum quouis modo præpedire poſſent impetrares. Sed generatim tantummodo. Tempus eſt vt ad particularia deſcendam. Peccata omnia impedimento & offendiculo mihi ſunt: paſſiones & affectiones inordinatæ ingẽtes procellas & tempeſtates cõtra

tra nauiculam meam excitant.
At cæteris turbulentiores &
pernitioſiores ab ira & vindi-
ctæ cupiditate & carnalibus de-
ſideriis proficiſcuntur. Vbi e-
nim iracundiæ ventus regnat, i-
bi nec velum, nec antenna, nec
temo nec remus ſubſiſtere po-
teſt. Vbi caro dominatur, ibi
frequentes & copioſi ignes ſuſ-
citantur, qui nauigia cum naua-
rchis & rectoribus abſumunt.
Manſuetudo & caſtitas duæ vir
tutes his reſiſtunt, atque inſul-
tus eorum repellunt. His itaque
ſingulariter egeo vt à ſpirituali
naufragio tutus ſim. Quamob-
rem ô glorioſa virgo, à te peto
vt illas mihi impetres. Tu quẽ-
admodum ſupra declaratum
eſt, fuiſti virgo ante partum,
virgo in partu, & virgo poſt
partum: ſed virgo ſingularis,
quandoquidem, vti ſancti Pa-

tres affirmant, prima fuiſti, quæ ex inſpiratione diuina perpetuam virginitatem promiſiſti. Filia Iephte virgo quidem mortua eſt, ſed contra voluntatem & cum dolore. Nam cum patri planè deliberatum eſſe cerneret ipſam Deo in ſacrificium, vti iuramento ſe obſtrinxerat, immolare: dilationem pro virginitate ſua deploranda petiit. At tu libera & ſpontanea volũtate virginitatem tuam Deo conſecraſti: atq; hoc facto Deo tam gratum obſequium pręſtitiſti, vt te inuiolata virginitate fecundam eſſe voluerit. Atque id alterũ eſt quod in tua virginitate ſingulare extitit, vti SS. Patres notarunt. Nam vti antea diximus, à ſæculo non eſt auditum, vt aliqua ſimul mater eſſet & virgo, præter te.

Iudic. 11.

Iam verò quid dicam de tua benig-

benignitate, clementia & manſuetudine? Extititne creatura aliqua pura in cuius lingua & corde minus fellis & amaritudinis fuerit? Habueras certè inſignem materiam & occaſionẽ aduerſus illos iraſcendi & decertandi, qui & te & filium tuũ perſequebantur. Sed quis te audiuit vel vnicum verbum proferentem, aut vidit vel minimum iracundiæ ſignum aut impatientiæ oſtendentem erga illos? Apoſtoli cum Samaritani illos ab ingreſſu ciuitatis ſuæ prohibuiſſent, vindictæ cupiditate incenſi, efficere voluerunt, vt ignis de cœlo deſcenderet & conſumeret illos, vt hoc pacto iniuriam ſibi factam vlciſcerentur. At tu nũquam hoc ſpiritu impulſa fuiſti, ſed memoriæ diligentiſſimè cõmendaſti lectionem filii tui qua di- *Luc. 19.*

Matth. 11. cit. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Te igitur virgo ſingularis, virgo dulciſſima, virgo ſuper omnes maximè clemens & mitis obſecro: impetra mihi binas haſce virtutes. Manſuetudinem, & caſtitatem: Manſuetudo iræ atque vindictæ fluctus inſurgentes reprimet; caſtitas, luxuriæ atque incontinentiæ flammas extinguet. Quibus adeptis in magna tranquillitate & ſecuritate nauigationis meæ curſum conficiam. Filius tuus

Matth. 5. *Beatos* affirmat *mites, quia poſſeſſuri ſint terram.* At quam terram? Illam vtiq; terram viuentium, terram cœleſtem, portum ęternæ fœlicitatis. Idem Beatos aſſeuerat *mundos corde*, quandoquidem *viſuri ſint Deum.* Quid autem aliud mihi deſiderandum eſt, quam vt intueri poſſim Deum, non in ænigmatibus & figuris, velut

velut in ſpeculo, ſed facie ad faciem, quemadmodum Beati eũ contemplantur. Fac igitur, vt ad illius conſpectum aliquãdo perueniam, ô virgo mitis, ô virgo ſingularis.

VIRGO SINGVLARIS.

De ſingulari B. Virginis pudicitia, & quomodo à nobis imitanda ſit.

CONSIDERATIO.

DVBIVM non eſt, Anima fidelis, Beatam Virginem ſingularem fuiſſe in caſtitate, tum quia prima votum virginitatis emiſit, tum quia virgo fuit dotata fœcunditate. Eſt tamen & aliud quiddam in hac eius caſtitate ſingulare, nimirùm quod omnes caſtitatis ſpecies in ſuprema perfectione in ſe habuerit. Prima caſtitatis ſpecies eſt, caſtitas virginarum: ſecunda, viduarum: tertia

Tres caſtitatis ſpecies.